









242A

SANCTI ANGELI, REGNI CUSTODIS.

Duplex 2. cl. cum octava.

AD VESPERAS.

Ant. Angelum virtutis suæ emisit Dóminus ex Sion, qui liberávit Civitatem nostram de médio inimicórum suórum.

Psalmus 109.
Dixit Dóminus Dómino meo: * Sede à dextris meis;

Donec ponam inimicos tuos, * scabellum pedum tuórum.

Virgam virtutis tuæ emittet Dóminus ex Sion: * domináre in medio inimicórum tuórum.

Tecum princípium in die virtutis tuæ in splendoribus Sanctórum: * ex utero ante luciferum genui te.

Jurávit Dóminus, et non pœnitêbit eum: * Tu es Sacerdos in ætérnum secúndum órđinem Melchisédech.

Dóminus à dextris tuis, * confrégit in die iræ suæ reges.

Judicábit in natióibus, implébit ruinas: * conquassábit cápite in terra multórum.

De torrénite in via bibit: * prop-
térêa exaltábit caput.

Ant. Angelum virtutis suæ emisit Dóminus ex Sion, qui liberávit Civitatem nostram de médio inimicórum suórum.

Ant. Ecce non dormitábit, neque dórmiet qui custódit Civitatem istam, quóniam ipse est protectio super manum dexteram nostram.

Psalmus 120.

Levavi óculos meos in montes, * undè véniet auxilium mihi.

Auxilium meum á Dómino, * qui fecit cœlum et terram.

Non det in commotiónem pedem tuum * neque dormitet qui custodit te.

Ecce non dormitabit neque dórmiet, * qui custodit Israel.

Dóminus custodit te, Dóminus protectio tua, * super manum dexteram tuam.

Per diem sol non uret te, * neque luna per noctem

Dóminus custódit te ab omni malo: custódiat ánimam tuam Dóminus.

Dóminus custódiat intróitum tuum, et éxitum: et usque in séculum.

Ant. Ecce non dormitabit, neque dórmiet qui custódit Civitatem istam, quoniam ipse est protectio super manum dexteram nostram.

Ant. Nisi Angelus Domini custodierit Civitatem nostram, in vanum laboraverunt qui custodiunt eam.

Psalmus 126.

Nisi Dominus ædificaverit domum, * in vanum laboraverunt qui ædificant eam.

Nisi Dominus custodierit Civitatem, * frustra vigilat qui custodit eam.

Vanum est vobis ante lucem surgere: * surgite postquam sederitis, qui manducatis panem doloris.

Cum dederit dilectis suis somnum: * ecce hæreditas Domini, fili: merces, fructus ventris.

Sicut sagittæ in manu potentis: * ita filii excussorum.

Beatus vir qui implevit desiderium suum ex ipsis: * non confundetur, cum loquetur inimicis suis in porta.

Ant. Nisi Angelus Domini custodierit Civitatem nostram, in vanum laboraverunt qui custodiam eam.

Ant. In conspectu Angelorum psallam tibi, Deus meus, ut per eorum custodiam super iram inimicorum meorum extendas manum tuam, et salvum me faciat dextera tua.

Psalmus 136.
Confitebor tibi, Domine, in toto corde meo: * quoniam audisti verba oris mei.

In conspectu Angelorum psallam tibi: * adorabo ad templum sanctum tuum, et confitebor nomini tuo.

Super misericordia tua, et veritate tua: * quoniam magnificasti super omne, nomen sanctum tuum.

In quacumque die invocavero te, exaudi me: * multiplicabis in anima mea virtutem.

Confiteantur tibi, Domine, omnes reges terræ: * quia audierunt omnia verba oris tui:

Et cantet in viis Domini: * quoniam magna est gloria Domini.

Quoniam excelsus Dominus, et humilia respicit: * et alta á longè cognoscit.

Si ambulavero in medio tribulationis, vivificabis me: * et super iram inimicorum meorum extendis

ti manum tuam, et salvum me fecit dextera tua.

Dominus retribnet pro me: * Domine, misericordia tua in seculum: opera manuum tuarum ne despicias.

Ant. In conspectu Angelorum psallam tibi, Deus meus, ut per eorum custodiam super iram inimicorum meorum extendas manum tuam, et salvum me faciat dextera tua.

Ant. Confortavit Dominus seras portarum Civitatis suæ, et posuit Angelum ad pacem, et custodiam in finibus ejus.

Psalmus 147.
Lauda, Jerusalem, Dominum: * lauda Deum tuum, Sion.

Quoniam confortavit seras portarum tuarum: * benedixit filiis tuis in te.

Qui posuit fines tuos pacem: * et adipe frumenti satiat te.

Qui emittit eloquium suum terræ: * velociter currit sermo ejus.

Qui dat nivem sicut lanam: * nebulam sicut cinerem spargit.

Mittit crystallum suam sicut buccellas: * ante faciem frigoris ejus quis sustinebit?

Emittet verbum suum, et liquefaciet ea: * flabit spiritus ejus, et fluent aquæ.

Qui annuntiat verbum suum Jacob: * justitias, et judicia sua Israel.

Non fecit taliter omni nationi: * et judicia sua non manifestavit eis.

Ant. Confortavit Dominus seras portarum Civitatis suæ, et posuit Angelum ad pacem, et custodiam in finibus ejus

Capitulum.
4. Reg. 19. v. 32.
Hæc dicit Dominus de Rege Assyriorum: Non ingreditur Urbem hanc, nec mittet in eam sagittam,

nec occupabit eam clypeus, nec circumdabit eam munitio.

Hymnus.

Custodes hominum psallimus Angelos,

Naturæ fragili quos Pater addidit
Cœlestis comites, insidiantibus
Ne succumberet hostibus.

Nam quod corruerit proditor Angelus,

Concessit meritò pulsus honoribus:

Ardens invidia, pellere nititur
Quos cœlo Deus advocat.

Huc custos igitur pervigil advola.

Advertens patria de tibi credita.

Tam morbos animi, quam requiescere.

Quidquid non sinit incolas.

Sanctæ sit Triadi laus pia jugiter,

Cujus perpetuo numine machina

Triplex hæc regitur, cujus in omnia

Regnat gloria secula. Amen.

γ. Angelis suis Deus mandavit de te;

ρ. Ut custodiant te in omnibus viis tuis.

AD MAGNIFICAT.

Ant. Super muros tuos Jerusalem, constitui custodes: tota die et nocte non tacebunt laudare nomen Domini.

Oratio.

Omnipotens sempiterne Deus, qui ineffabili providentia unicuique Regno singularem Angelum ad custodiam deputasti: concede, quæsumus; ut Angeli Regni nostri Custodis precibus et patrociniis ab omnibus semper eruamur adversis. Per Dominum...

AD MATUTINUM.

Invitatorium.

Regem Angelorum Dominum:

* Venite, adoremus.

Hymnus Custodes hominum

ut supra in Vesperis.

IN I NOCTURNO.

Ant. Dirige, Domine, per Angelum tuum viam nostram, et scuto fortitudinis tuæ protege servos tuos

Psalmus 5.

Verba mea auribus percipe, Domine, intellige clamorem meum.

Intende voci orationis meæ, * Rex meus, et Deus meus.

Quoniam ad te orabo: * Domine, mane exaudies vocem meam.

Mane astabo tibi, et videbo; * quoniam non Deus volens iniquitatem tu es.

Neque habitabit juxta te malignus; * neque permanebunt injusti ante oculos tuos.

Odisti omnes qui operantur iniquitatem: * perdes omnes qui loquantur mendacium.

Virum sanguinum et dolosum abominabitur Dominus: * ego autem in multitudine misericordiæ tuæ.

Introibo in domum tuam: * adorabo ad templum sanctum tuum in timore tuo.

Domine, deduc me in justitia tua: * propter inimicos meos dirige in conspectu tuo viam meam.

Quoniam non est in ore eorum veritas: * cor eorum vanum est.

Sepulcrum patens est guttur eorum, linguis suis dolosè agebant: * judica illos, Deus.

Decidant à cogitationibus suis, secundum multitudinem impietatum eorum expelle eos; * quoniam irritaverunt te, Domine.

Et lætentur omnes, qui sperant in te, * in æternum exultabunt: et habitabis in eis.

Et gloriabuntur in te omnes, qui diligunt nomen tuum; * quoniam tu benedices justo.

Domine, ut scuto bonæ voluntatis tuæ * coronasti nos.

Ant. Dirige, Domine, per Angelum tuum viam nostram, et scuto fortitudinis tuæ protege servos tuos.

Ant. Minuisti, Domine, hominem paulò minus ab Angeils, sed eorum custodia visitasti eum, et in periculis multis memor ejus fuisti.

Psalmus 8.

Domine, Dominus noster, * iquam admirabile est nomen tuum in universa terra!

Quoniam elevata est magnificentia tua * super cœlos.

Ex ore infantium et lactentium perfecisti laudem propter inimicos tuos, * ut dextruas inimicum et ultorem.

Quoniam videbo cœlos tuos, opera digitorum tuorum: * lunam et stellas. quæ tu fundasti.

¿Quid est homo, quod memor es ejus? * aut filius heminis, quoniam visitas eum?

Minuisti eum paulò minùs ab Angelis, gloria et honore coronasti eum: * et constituisti eum super opera manuum tuarum.

Omnia subjecisti sub pedibus ejus, * oves et boves universas: insuper et pecora campi.

Volucris cœli, et pisces maris, * qui perambulant semitas maris.

Domine, Dominus noster, * iquam admirabile est nomen tuum in universa terra!

Ant. Minuisti, Domine, hominem paulò minus ab Angelis, sed eorum custodia visitasti eum, et in periculis multis memor ejus fuisti.

Ant. Tu, Domine, servabis et custodies nos per Angelum tuum ab omni prava generatione, quia in circuitu nostro impii ambulant.

Psalmus 11.

Salvum me fac, Domine, quoniam defecit sanctus: * quoniam diminutæ sunt veritates à filiis hominum.

Vana locuti sunt unusquisque ad proximum suum: * labia dolosa, in corde et corde locuti sunt.

Disperdat Dominus universa labia dolosa, * et linguam magniloquam.

Qui dixerunt, Linguam nostram magnificabimus, labia nostra á nobis sunt, * ¿qui noster Dominus est?

Propter miseriam inopum, et gemitum pauperum, * nunc exurgam dicit Dominus.

Ponam in salutari: * fiducialiter agam in eo.

Eloquia Domini, eloquia casta: * argentum igne examinatum, probatum terræ, purgatum septuplum.

Tu, Domine. servabis nos, et custodies nos * à generatione hac in æternum.

In circuitu impii ambulant: * secundum altitudinem tuam multiplicasti filios hominum.

Ant. Tu, Domine, servabis et custodies nos per Angelum tuum ab omni prava generatione, quia in circuitu nostro impii ambulant.

†. Angelis suis Deus mandavit de te.

†. Ut custodiant te omnibus viis tuis.

De libro Apocalypsis B. Joann. Ap.

Cap. 8. v. 2.

Lectio I.

Vidi septem Angelos stantes in conspectu Dei: et datae sunt illis septem tubæ. Et alius Angelus venit, et stetit ante altare habent thuribulum aureum; et data sunt illi incensa multa, ut daret de orationibus Sanctorum omnium super altare aureum, quod est ante thronum Dei. Et ascendit fumus incensorum de orationibus Sanctorum de manu Angeli coram Deo. Et accepit Angelus thuribulum, et implevit illud de igne altaris, et misit in terram, et facta sunt tonitrua, et

voces, et fulgura, terræmotus magnus.

¶. Angelsi suis Deus mandavit de te. * Ut custodiant te in cunctis viis tuis.

¶. In manibus portabunt te, ne forte offendas od lapidem pedem tuum. Ut custodiant te....

Lectio II.

Ut septem Angeli, qui habebant septem tubas, præparaverunt se, ut tuba caneret. Et primus Angelus tuba cecinit, et facta est grando, et ignis, mista in sanguine, et missum est in terram, et tertia pars terræ combusta est, et tertia pars arborum concremata est, et omne fœnum viride combussum est Et secundus Angelus tuba cecinit: et tamquam mons magnus igne ardens missus est in mare, et facta est tertia pars maris sanguis, et mortua est tertia pars creaturæ eorum, quæ habebant animas in mari, et tertia pars navium interiit.

¶. Immittet Angelum suum Dominus in circuitu timentium eum; * Et de omnibus tribulationibus suis eripiet eos. ¶. Clamaverunt justī, et Dominus exaudivit eos, et misit Angelum suum. Et de omnibus....

Lectio III.

Ut tertius Angelus tuba cecinit: et cecidit de cœlo stella magna, ardens tamquam facula, et cecidit in tertiam partem fluminum, et in fontes aquarum. et nomen stellæ dicitur Absinthium; et facta est tertia pars aquarum in absinthium: et multi hominum mortui sunt de aquis, quia amaræ factæ sunt. Et quartus Angelus tuba cecinit: et percussa est tertia pars solis, et tertia pars lunæ, et tertia pars stellarum, ita ut obscuraretur tertia pars eorum, et diei non luceret pars tertia, et noctis similiter. Et vidi, et audi

vocem unius aquilæ volantis per medium cœli: dicentis voce magna: Væ, væ, væ, habitantibus in terra de ceteris vocibus trium Angelorum, qui erant tuba canituri.

¶. Super muros tuos, Jerusalem, posui custodos Qui tota die, ac nocte non cessabunt laudare nomen Domini.

¶. Prædicabunt populis fortitudinem meam, et annuntiabunt gentibus gloriam meam Qui tota.... Glorla Patri... Qui tota....

IN II NOCTURNO.

Ant. Custodi nos, Domine, ut pupillam oculi, sub umbra alarum tuarum protege nos.

Psalmus 16.

Exaudi, Domine, justitiam meam: * intende deprecationem meam.

Auribus percipe orationem meam, * non in labiis dolosis.

De vultu tuo iudicium meum prodeat: * oculi tui videant æquitates.

Probasti cor meum, et visitati nocte: * igne me examinasti, et non est inventa in me iniquitas.

Ut non loquatur os meum opera hominum: * propter verba labiorum tuorum ego custodivi vias duras.

Perfice gressus meos in semitis tuis; * ut non moveantur vestigia mea.

Ego clamavi, quoniam exaudisti me, Deus: * inclina aurem tuam mihi, et exaudi verba mea.

Mirifica misericordias tuas, * qui salvos facis sperantes in te.

A resistentibus dexteræ tuæ custodi me, * ut pupillam oculi.

Sub umbra alarum tuarum protege me: * à facie impiorum qui me afflixerunt.

Inimici me animam meam circumdederunt adipem suum concluserunt: * os eorum locutum est superbiam.

Projicientes me nunc circumderunt me: * oculos suos statuerunt declinare in terram.

Susceperunt me sicut leo paratus ad prædam: * et sicut catulus leonis habitans in abditis.

Exurge, Domine, præveni eum, et supplantâ eum: * eripe animam meam ab impio, frameam tuam ab inimicis manus tuæ.

Domine, à paucis de terra divide eos in vita eorum: * de absconditis tuis adimpletus est venter eorum.

Saturati sunt filii: * et dimiserunt reliquias suas parvulis suis

Ego autem in justitia aparebo conspectui tuo: * satiabor cum apparuerit gloria tua.

Ant. Custodi nos, Domine, ut pupillam oculi, sub umbra alarum tuarum protege nos.

Ant. Mitte nobis, Domine, auxilium angelicum de sancto, et de Sion tuere Civitatem nostram.

Psalmus 19.
Exaudiat te Dominus in die tribulationis: * protegat te nomen Dei Jacob.

Mittat tibi auxilium de sancto: * et de Sion tueatur te.

Memor sit omnis sacrificii tui * et holocaustum tuum pingüie fiat.

Tribuat tibi secundum cor tuum: * et omne consilium tuum confirmet.

Lætabimur in salutari tuo: * et in nomine Dei nostri magnificabimur.

Impleat Dominus omnes petitiones tuas: * nunc cognovi quoniam salvum fecit Dominus Christum suum.

Exaudiet illum de cælo sancto suo: * in potentatibus salus dexterae ejus.

Hi in curribus, et hi in equis: * nos autem in nomine Domini Dei nostri invocabimus.

Ipsi obligati sunt, et ceciderunt: * nos autem surreximus, et erecti sumus.

Domine, salvum fac regem: * et exaudi nos in die, qua invocaverimus te.

Ant. Mitte, nobis, Domine, auxilium angelicum de sancto, et de Sion tuere Civitatem nostram.

Ant. Qui tribulant nos inimici nostri, infirmati sunt, et ceciderunt, quia Dominus protexit nos per Angelum suum in abscondito tabernaculi sui.

Psalmus 26.
Dominus illuminatio mea, et salus mea, * quem timebo?

Dominus protector vitæ meæ, * quâ quo trepidabo?

Dum appropiant super me nocentes, * ut edant carnes meas:

Qui tribulant me inimici mei, * ipsi infirmati sunt et ceciderunt.

Si consistent adversum me castra, * non timebit cor meum.

Si exurgat adversum me praelium, * in hoc ego sperabo.

Unam petii à Domino, hanc requiram, * ut inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ:

Ut videam voluptatem Domini, * et visitem templam ejus.

Quoniam abscondit me in tabernaculo suo: * in die malorum protexit me in abscondito tabernaculi sui

In petra exaltavit me: * et nunc exaltavit caput meum super inimicos meos.

Circuivi, et immolavi in tabernaculo ejus hostiam vociferationis: * cantabo, et psalmum dicam Domino.

Exaudi, Domine, vocem meam, qua clamavi ad te: * miserere mei, et exaudi me

Tibi dixit cor meum, exquisivit

te facies mea: * faciem tuam, Domine, requiram.

Ne avertas faciem tuam, á me: * ne declines in ira á servo tuo.

Adjutor meus esto: * ne derelinquas me, neque despicias me, Deus salutaris meus.

Quoniam pater meus, et mater mea dereliquerunt me: * Dominus autem assumpsit me.

Legem pone mihi, Domine, in via tua: * et dirige me in semitam rectam propter inimicos meos.

Ne tradideris me in animas tribulantium me: * quoniam insurrexerunt in me testes iniqui, et mentita est iniquitas sibi.

Credo videre bona Domini * in terra viventium.

Expecta Dominum, viriliter age: * et confortetur cor tuum, et sustine Dominum.

Ant. Qui tribulant inimici nostri, infirmati sunt, et ceciderunt, quia Dominus protexit nos per Angelum suum in abscondito tabernaculi sui.

†. Dirige nos, Domine, per Angelum tuum:

†. Quoniam tu es Salvador noster.

Sermo Sancti Bernardi Abbatis.

Lectio IV.

In supernis spiritibus non solum admirabilis dignitas. sed dignatio amabilis invenitur. Dignum est proinde, fratres, ut gloriam non capientes, tanto magis amplectamur misericordiam, quá nimirum constat nihilominus abundare domesticos Dei, cœli cives, Principes Paradisi. Testatur denique Apostolus ipse qui raptus usque ad tertium cœlum. beatæ illæ Curiae meruit interesse, atque ejus nosse secreta, quoniam omnes administratorii sunt Spiritus, missi in ministerium prop-

ter eos, qui hæreditatem capiunt salutis. Neque id cuiquam incredibile videatur, quandoquidem ipse quoque Creator, et Rex Angelorum venit non ministrari, sed ministrare, et animam suam dare pro multis. Ut quid ergo ministeriunt illud Angelorum quispiam dedignetur, in quo præcedit eos, cui in excelsis tota cum aviditate, et felicitate ministrant? Si et hinc dubitas, utique qui vidit, testimonium perhibuit, millia, inquit, millium ministrabant ei, et decies millies centena millia assistebant ei. Alius quoque Propheta ad Patrem de Filio loquens, ait: Minuisti eum paulò minus ab Angelis. Sic plane, sic decet ut vincat et humilitate, qui sublimitate vincebat; sitque tanto minor Angelis, quante inferiori sese ministerio mancipavit. Qui tanto excellentior est, quanto differentius præ eis nomen hæreditavit.

†. Misit Dominus Angelum suum, et conclusit ora leonum, * Et non nocuerunt mihi †. Misit Dominus misericordiam suam, et fortitudinem suam, animam meam liberavit de medio catulorum leonum. Et non nocuerunt...

Lectio V.

¶ Sed quæras fortasse in quo minoratus videatur ab Angelis, cum ministrare venit, quandoquidem, ut supra meminimus, in ministerium mittuntur et illi? In eo utique: quod non modo ministravit, sed et ministratus est, eratque unus et idem, qui ministrabat et qui ministrabatur. Merito proinde Sponsa in Canticis Canticorum: Ecce, inquit, iste venit saliens in montibus transiliens colles. Ministrans enim salit inter Angelos, sed et ipsos transiliit ministratus. Ministrant enim Angeli, sed de alieno, offerentes Deo

bona opera, non sua, sed nostra, ac nobis ejus gratiam referentes. Unde et Scriptura dicens: Quoniam ascendit fumus aromatum in conspectu Domini de manu Angeli, sollicitè præmisit data ei fuisse incensa multa. Nostros enim sudores, non suos, nostras, non suas lacrymas offerunt Deo; nobis quoque ejus munera referunt, non sua. Non sic minister illi sublimior cunctis, sed et humilior universis, qui semetipsum obtulit sacrificium laudis, qui Patri offerens animam suam, nobis ministrat usque hodie carnem suam. Hujus utique tanti ministri gratia nihil mirum, si dignanter nobis, inmo et libenter Angeli sancti ministrarent. Ipsi enim amant nos, quia nos Christus amavit. Dicitur certe vulgari quodam proverbio: Qui me amat, amat et canem meum. Nos vero jó beati Angeli! catelli sumus Domini illius, quem toto affectu diligitis: catelli, inquam, cupientes saturari de micis, quæ cadunt de mensa dominorum nostrorum, qui estis vos. Et hæc dixerim, fratres, ut ampliorem de cetero erga beatos Angelos fiduciam habeatis, ac proinde familiarius in omni necessitate vestra eorum invocetis auxilia. Sed et dignius in eorum præsentia conversari, et magis eorum vobis conciliare gratiam, captare benevolentiam, et exorare clementiam studeatis.

¶ Muro tuo inexpugnabili circumcinge nos, Domine: * Et armis tuæ potentiæ protege nos. †. Emitte, Domine, Angelum tuum, qui custodiat nos in omnibus viis nostris Et armis...

Lectio VI.

Quæ cum ita sint, pensate quanta etiam nobis sollicitudine opus est, dilectissimi, ut dignos nos exhi-

beamus eorum frequentia, et eo modo conversemus in conspectu Angelorum, ne forte sanctos offendamus obtutus. Væ enim vobis, si quando provocati peccatis, et negligentis nostris, indignos nos judicaverint præsentia, et visitatione sua, ut jam necesse habeamus et nos plangere, et dicere cum Propheta: Amici mei, et proximi mei adversum me appropinquaverunt et steterunt, et qui juxta me erant, de longe steterunt, et vim faciebant qui quærebant animam meam: elongatis nimirum eis, quorum præsentia protegere nos, et propulsare poterat inimicum. Quod si tam necessariam habemus familiaritatem dignationis Angelicæ, cavenda nobis eorum offensa, et in his maxime exercendum quibus eos novimus oblectari. Sunt enim plurima, quæ eis placent, et quæ in nobis invenire delectat, ut est sobrietas, castitas, paupertas voluntaria, crebri in cælum gemitus, et orationes cum lacrymis, et cordis intentione. Attamen super omnia hæc unitatem, et pacem á nobis exigunt Angeli pacis.

¶ Expugna, Domine, impugnantes nos: * Et libera nos de inimicis nostris. †. Fiant viæ illorum tenebræ, et lubricum, et Angelus Domini persequens eos. Et libera... Gloria Patri .. Et libera...

IN III NOCTURNO.

Ant. Immisit Angelus Domini in circuitu timentium eum, et de multis tribulationibus eripuit eos.

Psalmus 33.

Benedicam Dominum in omni tempore: * semper laus ejus in ore meo.

In Domino laudabitur anima mea: * audiant mansueti, et lætentur.

Magnificate Dominum mecum: *

et exaltemus nomen ejus in idipsum.

Exquisitevi Dominum, et exaudivit me: * et ex omnibus tribulationibus meis eripuit me.

Accedite ad eum, et illuminamini: * et facies vestrae non confundentur.

Iste pauper clamavit, et Dominus exaudivi eum: * et de omnibus tribulationibus ejus salvavit eum.

Immittet Angelus Domini in circuitu timentium eum: * et eripiet eos.

Gustate, et videte quoniam suavis est Dominus: * beatus vir, qui sperat in eo.

Timete Dominum, omnes sancti ejus: * quoniam non est inopia timentibus eum.

Divites eguerunt et esurierunt: * inquirentes autem Dominum non minuentur omni bono.

Venite, filii, audite me: * timorem Domini docebo vos.

Quis est homo qui vult vitam: * diligit dies videre bonos?

Prohibe linguam tuam a malo: * et labia tua ne loquantur dolum.

Diverte a malo, et fac bonum: * inquire pacem, et persequere eam.

Oculi Domini super justos: * et aures ejus in preces eorum.

Vultus autem Domini super facientes mala: * ut perdat de terra memoriam eorum.

Clamaverunt justi, et Dominus exaudivit eos: * et ex omnibus tribulationibus eorum liberavit eos.

Juxta est Dominus iis, qui tribulato sunt corde: * et humiles spiritu salvabit.

Multae tribulationes justorum: * et de omnibus his liberabit eos Dominus.

Custodit Dominus omnia ossa eorum: * unum ex his non conteretur.

Mors peccatorum pessima: * et qui oderunt justum delinquent.

Redimet Dominus animas servorum suorum: * et non delinquent omnes qui sperant in eo.

Ant. Immisit Angelus Domini in circuitu timentium eum, et de multis tribulationibus eripuit eos.

Ant. Adorate Dominum, omnes Angeli ejus, quoniam Dominus custodivit animas servorum suorum, et de manu peccatoris liberabit eos.

Psalmus 96.

Dominus regnavit, exultet terra: * latentur insulae multae.

Nubes, et caligo in circuitu ejus: * justitia, et judicium correctio sedis ejus.

Ignis ante ipsum praecedet, * et inflammabit in circuitu inimicos ejus.

Illuxerunt fulgura ejus orbi terrae: * vidit, et commota est terra.

Montes sicut cera fluxerunt a facie Domini: * a facie Domini omnis terra.

Annuntiaverunt caeli justitiam ejus: * et viderunt omnes populi gloriam ejus.

Confundantur omnes, qui adorant sculptilia: * et qui gloriantur in simulacris suis.

Adorate eum, omnes Angeli ejus: * audivit, et laetata est Sion.

Et exultaverunt filiae Judae, * propter judicia tua, Domine:

Quoniam tu Dominus altissimus super omnem terram: * nimis exaltatus es super omnes deos

Qui diligitis Dominum, odite malum * custodit Dominus animas sanctorum suorum, de manu peccatoris liberabit eos.

Lux orta est justo, * et rectis corde laetitia.

Laetamini, justi, in Domino: * et

confitemini memoriae sanctificationis ejus.

Ant. Adorate Dominum, omnes Angeli ejus, quoniam Dominus custodivit animas servorum suorum, et de manu peccatoris liberabit eos.

Ant. Benedicite Dominum, omnes Angeli ejus, et notas nobis facite vias ejus.

Psalmus 102.

Benedic, anima mea, Domino: * et omnia, quæ intra me sunt, nomini sancto ejus

Benedic, anima mea, Domino: * et noli oblivisci omnes retributiones ejus.

Qui propitiatur omnibus iniquitatibus tuis: * qui sanat omnes infirmitates tuas.

Qui redimit de interitu vitam tuam, * qui coronat te in misericordia et miserationibus.

Qui replet in bonis desiderium tuum: * renovabitur ut aquilæ juvenus tua.

Faciens misericordias Dominus: * et judicium omnibus injuriam patientibus.

Notas fecit vias suas Moysi, * filiis Israel voluntates suas.

Miserator, et misericors Dominus: * longanimis, et multum misericors.

Non in perpetuum irascetur: * neque in æternum comminabitur.

Non secundum peccata nostra fecit nobis: * neque secundum iniquitates nostras retribuit nobis.

Quoniam secundum altitudinem cœli à terra, * corroborabit misericordiam suam super timentes se.

Quantum distat Ortus ab Occidente: * longe fecit à nobis iniquitates nostras.

Quomodo miseretur pater filiorum, misertus est Dominus timen-

tibus se: * quoniam ipse cognovit figmentum nostrum.

Recordatus est quoniam pulvis sumus: * homo, sicut fenum dies ejus, tamquam flos agri sic efflorebit.

Quoniam spiritus pertransibit in illo, et non subsistet: * et non cognoscet amplius locum suum

Misericordia autem Domini ab æterno, * et usque in æternum super timentes eum.

Et justitia illius in filios filiorum, * his qui servant testamentum ejus.

Et memores sunt mandatorum ipsius: * ad faciendum ea.

Dominus in cœlo paravit sedem suam, * et regnum ipsius omnibus dominabitur.

Benedicite Domino, omnes Angeli ejus: * potentes virtute, facientes verbum illius, ad audiendam vocem sermonum ejus.

Benedicite Domino, omnes virtutes ejus: * ministri ejus, qui facitis voluntatem ejus.

Benedicite Domino, omnia opera ejus: * in omni loco dominationis ejus, benedic, anima mea, Domino.

Ant. Benedicite Dominum, omnes Angeli ejus, et notas nobis facite vias ejus.

γ. Mitte, Domine, Angelum tuum de cœlis;

η. Qui custodiat, et illuminet nos

Homilia et Lectiones 3 Nocturni sumantur ex Breviario Romano sub die 29 Septembris in Festo sancti Michaelis Archangeli.

η. VII. Domine Deus omnipotens, ædificator, et custos Jerusalem Civitatis supernæ, mitte Angelum tuum, * Ut custodiat Regnum, et locum istum cum omnibus habitatoribus suis. γ. Convertere, Domine, faciem tuam super Popu-

lum tuum, et visita nos per Angelum tuum. Ut custodiat...

¶ VIII. Regnum, et Civitatem istam circumda, Domine: Et Angeli tui custodiant muros ejus: exaudi Populum tuum cum misericordia. ¶ Avertatur, Domine, furor tuus ab hoc Regno, et Civitate tua. Et Angeli tui... Gloria Patri... Et Angeli tui...

AD LAUDES,
et per Horas.

Ant. Induit Angelus Princeps noster fortitudinem, et præcinxit se virtute, et firmavit Civitatem nostram, quæ non commovebitur ab inimicis nostris.

Psalmus Dominus regnavit... cum reliquis de Dominica.

Ant. Jubilate Deo, omnes cives ejus, quoniam Dominus, qui fecit nos, ipse custodiet, et liberavit nos.

Ant. Ad te, Domine, de luce vigiliat Angelus Princeps, et custos noster, et super Civitatem istam, ideo inimici nostri in vanum quæsierunt expurgare eam.

Ant. Benedicant Dominum omnes Angeli ejus, et repellant à nobis omnes potestates adversas.

Ant. Laudate Dominum, omnes Angeli ejus, et alligate inimicos nostros in compedibus, et omnes impugnantes nos in manibus ferreis.

Capitulum.

6. Reg. cap. 19. v. 32.

Hæc dicit Dominus de Rege Assyriorum: Non ingreditur. Urbem hanc, nec mitte in eam sagittam, nec occupabit eam clypeus, nec circumdabit eam munitio.

Hymnus.

Aterne Rector siderum,
Qui, quidquid est potentia
Magna creasti, nec regis

Minore providentia.
Adesto supplicantium
Tibi: eorum cœtui,
Lucisque sub crepusculum
Lucem novam da mentibus:

Tuusque nobis Angelus,
Electus ad custodiam,
Hic adsit: à contagio
Ut criminum nos protegat.

Nobis draconis æmuli
Versutias exterminet,
Ne rete fraudulentia
Incauta nectat pectora.

Metum repellat hostium
Nostris procul de finibus:
Pacem procuret civium,
Fugetque pestilentiam

Deo Patri sit gloria,
Qui, quos redemit Filius,
Et Santus unxit Spiritus,
Per Angelos custodiat. Amen.

¶ Immittet Angelus Domini in circuitu timentium eum. ¶ Et eripiet eos.

Ad Benedictus.

Ant. Benedictus Dominus, qui per Angelum salutis visitavit plebem, et Civitatem nostram, et liberavit eam de manu omnium, qui oderunt nos, et direxit pedes nostros in viam pacis

Oratio.

Omnipotens sempiternus Deus, qui ineffabili providentia unicuique Regno singularem Angelum ad custodiam deputasti; concede, quæsumus; ut Angeli Regni nostri Custodis precibus et patrociniis ab omnibus semper eruamur adversis. Per Dominum...

AD TERTIAM.

Ant. Jubilate Deo...

Capitulum. Hæc dicit Dominus...

¶. Or. Angelis suis Deus * Mandavit de te. Angelis... ¶. Ut custodiant te in omnibus viis tuis. Mandavit... Gloria Patri... Angelis. .

¶. Dirige nos, Domine, per Angelum tuum

¶. Quoniam tu es Salvator noster.

AD SEXTAM.

Ant. Ad te Domine...

Capitulum.

4. *Reg.* 19 v. 33.

Per viam, qua venit, revertetur, et Civitatem hanc non ingreditur, dicit Dominus: protegamque Urbem hanc, et salvabo eam propter David servum meum.

ñ. br. Dirige nos, Domine, * Per Angelum tuum. Dirige nos. . *ŷ.* Quoniam tu es Salvator noster Per Angelum.... Gloria Patri... Dirige nos....

ŷ. Mitte, Domine, Angelum tuum de cœlis;

ñ. Qui custodiat, et illuminet nos.

AD NONAM.

Ant. Laudate Dominum....

Capitulum.

4. *Reg.* 19. 35.

Factum est igitur in nocte illa: ve-

nit Angelus Domini, et percussit in castris Assyriorum centum octoginta quinque millia.

ñ. brev. Mitte, Domine, * Angelum tuum de cœlis. Mitte, Domine... *ŷ.* Qui custodiat, et illuminet nos. Angelum.... Gloria Patri... Mitte, Domine..... *ŷ.* Immittet Angelus Domini in circuitu timentium eum.

ñ. Et eripiet eos.

In secundis Vesperis, omnia ut in primis, sine commemoratione de sequenti.

Pro diebus infra Octavam, si qui sunt, in quibus fieri debeat de Octava, primæ Lectiones legantur de Scriptura occurrente, aliæ sumantur ex Octavario Romano.

In die Octava, omnia ut in Festo, præter Lectiones primi Nocturni quæ erunt de Scriptura occurrente.

MISSA.


Introitus cum reliquis ut in Festo Angelorum Custodum die 2 Octobris; præter Orationem quæ erit Omnipotens sempiterne Deus.... ut supra.


MALACÆ.


ET OFFICINAM OLIM MARTINEZ DE AGUILAR.

TIPOGRAPHI BIBLIOPOLÆ, NUNC AUTEM AMBROSII RUBIO

ENOS SUCESSORIS.







SANTON

DE

MAIAGA

BIOTECA DIAZ ESCU

N.º

57

960